Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 71
Quelle:
Copyright:

I. Seculi XII. *Calendarium*, quo *Pascha* connectitur VI. *Kal. April.* seu diei 27. *Martii*, id quod annis 1111. 1130. 1149. 1168. 1187. contigit. Praeter festa notiora rubris in eo literis consignantur dies *Gregorii papę*, *Cyriaci cum s. s. Benedicti abbatis, Vdalrici episcopi, Translatio s. Benedicti, Mauricii et sociorum eius, Sergii et Bachi, In colonia XI. milia uirginum, Cecilię uirg. et mart. Clementis pp. et mart. Lucię et odilię v.* Ut adeo conjectem in quodam *Benedictino* Dioeceseos *Augustanae* Coenobio conscriptum fuisse, sed successu temporis ad Ecclesiam aliquam Sacerdotum secularium devenisse, quorum obitus, sed Sec. XIV. frequenter ad oram adnotantur. Invenio tamen et aevi anterioris notas emortuales; ita ad diem XI. *Kal. Mart.* ⊙ *Wylh. de randeckin*, quae fuit superioris *Bavariae* stirps a loco *Randeck* dicta.

II. *fol.* 7. *Psalterium Davidis cum glossa ordinaria Walafridi Strabi*, quam is, ut notum est, Sec. IX. potissimum ex *Rabani* magistri sui explicationibus confecit, *Anselmus Laudunensis* et alii deinceps interpolavere et auxere, quaeque in Bibliorum Opere *Glossato* dicto frequenter lucem vidit. Haec *glossa* charactere eleganti minuto margines nobis et spatium inter lineas occupat. Eodem charactere praemittitur *Prologus*, cujus hoc initium: *Sicut in secularibus libris queritur ad quam partem philosophię spectet unusquisque uidelicet ad phisicam. an ad eticam. an ad logicam. ita quoque in diuinis queri potest quibus ex istis supponantur* &c. Congruit *Prologus* hic, si sensa spectes, plurimum cum eo, quem *Honorius Augustodun.* suae *Psalmorum* Expositioni praemisit, quique in *Pezii Thes. Anecd.* T. II. P. 1. p. 97. legitur. Psalmis adhaerent *Cantica* Biblica, item *Oratio dominica*, *Symbolum Apost. Hymnus Ambrosii*, *Hymnus Angelicus*, *Fides Athanasii*, et tota de *Muliere forti* ex *Proverb.* C. 31. lectio, omnia suis quoque Glossis instructa partim a *Walafrido*, partim ab anonymo, sed *Beda*, cui *Mulier fortis* Ecclesia est.

III. *fol.* 95. minio: *Incipiunt Cantica canticorum* interlocutoribus *Christo*, *Synagoga* et *Ecclesia*, quibus eadem ratione addita est *ordinaria* seu *Walafridi Strabi* Glossa.

IV. *fol.* 102. eodem modo, eodemque adparatu glossae *Incipit liber apocalipsis*, divisus hic in XXIII. *Capita*. Quamquam vero C. nobis XXI. v. 19. Glossa in *duodecim pretiosos lapides* commentetur, tamen Scriptor noster ad calcem Libri peculiares harum Gemmarum descriptiones plurimum item a *Glossa* et partim ab *Hieronymo* et *Beda*, ut videtur, mutuatas adjecit hoc initio: *Fundamentum primum iaspis. Jaspidum multa sunt Genera. alius enim viridis coloris* &c. Finis mutilus: *Singulique lapides preciosi singulis sunt fundamentis deputati quia licet* — — — Atque hactenus manu seculi XII.

V.